

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

Sistens

TOXICOLOGIÆ PRIMAS LINEAS

Quam

Pro Summis in Medicina Honoribus

CONSENSU AMPL. FACULT, MED.

PRÆSIDE

*Doct. GABR. ERICO
HAARTMAN*

MED. PRACT. PROF. REG. ET ORD.

Publicæ Censuræ offert

BENJAMIN HOLMUDD,

*Medicinæ Licentiatus & Designatus Physicus Urbis
Ulaburgensis.*

In Auditorio Majori die XX Dec. MDCCXCVII.

h. a. & p. m. c.

ABOÆ

LITTERIS FRENCKELLIANIS.

*Panditur ad nullas janua nigra preces,
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viq.*

Propert., Eleg. L. IV. El. XI.



Introitus.

Specimen edituri Academicum, inter multa, quæ sese nobis obtulerunt hujus instituti argumenta, id, quo venenorum naturam quodammodo expositam sisteremus, præ reliquis nobis arrisit, & quia Medico Practico ac Legali perquam utile fore intelleximus, & quia hucusque haud satis systematice pertractatum esse putavimus, ne dicam, quod Lex ista a Platone (a) civitati suæ de Medicorum beneficii convictorum pœnis proposita, desiderium accenderit, illud paulo accuratius pervestigandi. Quo etenim detestabilius veneficium, a quocunque perpetratum, merito est respiciendum, quodque accurate examinari & judicium oculis demonstrari jure jubent Magistratus, & quo frequentius dirissima venena, hoc nostro toxicophilo, si ita loqui liceat, ævo, ab ipsis adhibentur Medicis, propter efficacissimas, quas, moderata tantum quantitate tractata, simul possident vires, ad pertinacissimos debellandos morbos; eo etjam magis cuicunque interest Medico, probe cognoscere venenorum non tantum variam vim, sed etjam diversum agendi modum, ne aut turpi ignorantia, aut incauta temeritate in difficili fallat quæstione. Quandoquidem vero hanc ob causam scriptores hujus argumenti præprimis Systematicos, vel etjam Medicinæ Legalis interpretes

A

con-

(a) Lib. XI, De Legibus p. 976, Ed. Franc.

confulimus, indeterminatos valde reperimus venenorum characteres, classificationemque nec Medico Practico nec Legali satis commodam utilemve. Liceat itaque ex novissimo um Physicorum ac Medicorum sparsis observationibus novum depromere systematis Toxicologici fundamentum, usui medico adaptatum idoneumque. Cum autem brevitati studiosissimos esse nos jubeant harum pagellarum limites, liceat tramitem tantummodo ostendisse, quam alii exercitiores amplificaturi curiositati B. L. magis satisficient, quam quod nec sperare, nec adniti juveniles permittunt conatus.

§. 1.

Notionem veneni antiquis temporibus ambiguum fuisse ex veterum scriptis satis constat, utpote quod medicamenti validi instar tam salubrem quam noxium effectum præstare diceretur. Itaque Jurisconsultus Cajus ad legem XII Tabularum commentatus monet, ut qui venenum dicit, adjicere debeat, utrum bonum esset, an malum (a), & Quintiliani verba sunt: „Venena, quæ aliis animalibus nocent, aliis profunt“ (b). In meliorem quoque sensum hoc vocabulum interpretatur Plinius (c), qui venena tanquam bona ac homini utilia commendat. Verum tamen neque pauciores suere, que delectricem venenis tribuere qualitatem, ut plura ex Cicerone, Virgilio, Lucretio, Curtio & cæteris hujus ævi auctoribus testantur loca. Hodie autem tam apud quoscumque hujus argumenti scriptores, quam in vita communi, noxia tantummodo significat hocce nomen corpora, venenum namque quibuscumque vernaculis Europæ linguis translatum virulentam significat corporum qualitatem. Attamen, quamvis circa notionem veneni

(a) De verborum signif. l. 236.

(b) Declamat. 350.

(c) Histor. Natur. Lib. II. Cap. 63.

nō communis fere deprehenditur consensus, si vel definitiones & descriptiones venenorum, vel catalogos eorundem apud Boerhaviū, Lindeſtolpe, Gmelin; Plenckium, Hallerum, Flouquet, aliosque hujus materie interpretes paulo ſcrupuloſius percontari lubeat, admodum inconstantēs atque inter ſe repugnantes adhibitos eſſe venenorum characteres, facile apparebit. Si enim e. g. doſis, quam exiguam in venenis ad noxios producendos effectus, plerique auctorum monent ſufficere, ſine præjudicio conſideretur, facile quiſque dabit, valde indeterminatum eam exhibere venenorum characterem; varia admodum namque ejusdem veneni requiritur doſis, pro diverſis illud adhibendi modis. Opium e. g. teſte Cel. Monro(d) multo minori doſi necat enematis inſtar in teſtino recto immiſſum, quam deglutitum. Et ſi unius veneni mortifera doſis cum alio compareretur, magnam obſervari differentiam quiſque harum rerum aliquantiſper gnarus ignorare nequit; ne dicam quantas hac in re corporum diſſimiles proclivitates, Idiſyncraſiæ ac morboſæ affectiōnes procreant diverſitates (e). Idem ferendum eſſe judicium merito putamus de reliquis venenorum conſuetis attributis, in primis ſi cum indicibus toxicorum comparantur. Sic namque Plenckius (f) duplici ratione veram neglexit veneni notionem, & quidem primo dum in catalogo ſuo enumeravit quæcunque miſmata aliasque cauſas morborum occaſionales, & deinde, quia corpora parum admodum per ſe vel per accidens tantummodo noxia, ut pinguedinem e. g. rancidam, quam Grœnlandicis in deliciis eſſe notum eſt, ad venena recenſuerit. Idem quoque vitium

A 2

nium

(d) *Essays and Observ. Phyſic. and Litter. T. III. p. 319.*

(e) *Subtiliſſima e. g. Moſchi effluvia apud delicatulas fœminas vehementiſſimas interdum procreare notum eſt convulſiones, abſque tamen omni venenofæ qualiſtatis ſuſpiciōne.*

(f) *Toxicologia. Viennæ 1785.*

nūm perpetrasse videmus, qui (g) in numerum venenorum re-
tuler affectus animi vehementiores. Nisi igitur communi ve-
neni notioni consentanei determinentur ejus characteres, at-
que corpora hisce prædita ad eorum numerum tantummodo
referantur, certe omnia remedia, nec non quæcunque ciborum
potulentorumque genera (h), aut nimia copia, aut intempesti-
ve assumta, veneficam dicenda essent exferere vim. Ex iis-
dem quoque sequitur præceptis, quod cum de veneficio de-
telegendo atque describendo quæstio agitur, non modo Phar-
maceutices scientiæ, & ipsi coquinariæ arti, veneficii culpa sæ-
pe foret attribuenda, sed etjam ipsi Medici hujus sceleris au-
ctores essent accusandi, sanissimi namque cibi & maxime salu-
tifera pharmaca noxios lethiferosque interdum effectus pro-
creare deprehenduntur (i). Quis autem hæc venena appella-
bit nisi vulgari notioni & ordini quem in quibusvis scientiis
physicis observare decet, repugnare lubet?

§. 2.

Ne igitur in istos illabamur errores ambiguitatesque, a-
lia ponenda esse arbitrati sumus fundamenta, aliosque quæren-
dos characteres, quibus qualitatem corporum veneficam tu-
tius determinare liceat. Difficile autem aggredimur negotium
nostras certe superaturum vires, quod itaque nec polliceri
nec tentare auderemus, nisi aliqua nobis affulgeret spes, na-
turæ paullo propius nos antecessoribus accessuros. Recte
qui-

(g) Oratio de usu venenorum. p. 14.

(h) cfr. Metzger Gerichtl. Arzneywiss. §. 200. not. 6.

(i) Multi testantur Clinici ipsum lac vaccinum, quamvis indole mi-
tissimum, sæpe apud hypochondriacos vehementissimas procreasse
anxietates atque colicos dolores; & quis nescit Kinkinam, quamvis
in innumeris casibus tutissimam medelam, plures nihilominus ægrote-
rum enecasse, intempestive nimirum adhibitam.

quidem Cel. dixit Gmelin, (a) non quæcunque corpora, siue per se siue per pravam adhibendi methodum noxia, veneni nomen mereri, ipsum namque panem, quamvis optimum alias cibum, aut immodice aut intempestive assumtum, venenum esse dicendum. Multa etiam sunt ejus indolis corpora, ut sua natura hominibus aliisque animalibus noceant, quamvis adeo leviter, ut per se nunquam mortem inducant. Præter hæc quoque quod uni animali interitum adfert aliis non nocet. Lucretio (b) namque jamjam inpotuit Verathrum nobis esse acre venenum, quamvis capris & coturnicibus adipem augeat. Etiam Surnos Cicutam (c), luesque sine damno Hyoscyamum (d) devorare fertur. Neque ipsos viperarum morsus omnibus animalibus interitum adferre, accuratissimus adnotavit observator Cel. Fontana (e). Hæc itaque satis probant, nulla corpora per se esse venenosa, sed per singulares tantum, quos in corpora animata edunt effectus, a reactione corporis affecti, & ab actione ipsius veneni simul explicandos. Unde facile intelligitur, qua ratione vehementissima venena optima evadere possint pharmaca, magnarumque ægritudinum medelas (f). Quando nimirum dosis atque modus adhibendi ad reactionem corporis affecti rite moderatur, vis sic dicta, medicatrix naturæ ad causas morbificas vel obtundendas vel tollendas incitatur; quod si autem admodum vehementer fiat, pejor, interitus nempe totius machinæ, producit effectus. Primarium itaque venenorum characterem

A 5

cterem

(a) Allgem. Gesch. der Pflanzengifte. p. ci. fr. etiam hæc de re Haller vorles. ueber die Gerichtl. Artzneywiss. 2 B. 1 Th. p. 170.

(b) L. IV. p. 655.

(c) Galen. Script. Medic. Facult. L. III. c. 18.

(d) Sextus Empir. Hypoth. Emp. I.

(e) Abhendl. über das Viperngift p. 19 sq.

(f) Auserl. Abh. I, B, 2 St. p. 73. & Hahnus l. ❖

Cerem haud immerito putamus consistere in singulari potentia vires vitales tanta vehementia turbandi, ut propria naturæ ope restaurari nequeant, qua in re contentientes nobiscum citare possumus summos in arte viros. Ipse Ill. Boerhavius monet venena tantum operari per solam vim vitalem corporis, etiam insinuada sunt (g). Idem quoque statuit Cel. Cullen (h), dum de Pharmacis in genere monet, eorum actionem in corpora mortua sive inanimata nullam esse, sed a solo tantummodo principio vitali pendere. Facile hinc concluditur, neque alimenta, neque medicamenta, neque etiam corpora levius nocentia, sub titulo venenorum ullo referenda esse jure. Merito quoque in proverbio dicitur, id mihi venenum est, de corpore, cujus noxia vis naturæ vires superare creditur. Nobis itaque venena dicuntur, quæ singularem possident facultatem solo noxiæ contactu vires medicatrices naturæ superandi. Ex definitione igitur veneni sponte excludimus non modo quantitatem molemve corporis nocentis, quam minutam esse volunt harum rerum interpretes, sed etiam dolosam sive clandestinam eorum communicationem, quam ad definiendam veneni qualitatem alii addere voluerunt, utpote quæ attributa venenorum sunt vel admodum inconstantia, vel minus necessaria.

§. 3.

Ut autem actio venenorum melius intelligatur, paucissima de phænomenis vitæ organicæ præmonere liceat. Qui inde, quos quæcunque in rerum natura obvia corpora, agendo in animalia viva, edunt effectus, paullo diligentius contemplerint, facile observasse non dubitamus, magnopere a reliquis naturæ phænomenis discrepare. Neque enim phæno-
mena

(g) Prælect. de Morbis Nervorum, T. I. p. 88. Venet. 1763.

(h) Mat. Med. überf. von Ebeling p. 1.

mena corporis vivi vel secundum mechanices leges vel ex Chemicis principiis commode possunt explicari; quamobrem etiam frustra tentarunt summi in arte Viri Medicam scientiam ad præcepta Mechanices vel fundamenta Chemica accommodare. Sic e. g. levisissimam titillationem vehementissimas excitasse musculorum vires stupendosque motus, nullis explicandos mechanices legibus, plurima testantur Medicorum diaria; & acidum virriolicum quod ad solvenda & decompnenda alia corpora adhibere solent Chemicæ, hominem diathesi putrida, ut dicere solent, fere dissolutum a leo restituit ut omnia dissolutura mors adhuc diu obitari queat (a). Quæ itaque in reliqua Physices scientia manet immutabilis lex, effectum non esse causa majorem, hoc aliisque innumeris ejusdem generis evertitur exemplis, quando scilicet de animatis quæstio agitur animalibus. Singularem itaque iis inesse facultatem aliorum corporum actiones retinendi, facie omnes viderunt harum rerum curiosi, quam vero diversis titulis denominare placuit Physiologis, aliique motum tonicum, alii irritabilitatem, alii incitabilitatem, alii demum (quod naturæ maxime consentaneum esse videtur) vitalitatem sive vim vitæ nuncuparunt. Cum autem hanc facultatem vel ut plerisque Medicorum dicere placet vim vitalem, diversis phænomenis vel diversa ratione in diversis corporis locis & partibus sese exferere observaverint Physiologi, secundum diversam earum constructionem, variis nominibus eam significare solent; vim itaque vitalem in musculis irritabilitatem dixerunt, in nervis sensibilitatem, in celluloza tonum, & sic porro, non
quali

(a) Ex his patet cel. Plouqueti definitionem haud accuratiorem esse reliquis, chemicam namque venenorum actionem in corpore vivo admodum esse inconstantem hoc, ut alia innumera taceamus exempla satis probat — Abhandl. über die gewaltf. Todesarten pag. 58.

quasi origine & causa primaria essent diversæ, sed quia diversa in quibusvis organis observentur phænomena. Hæc autem adeo diversè modificata facultas vitalis in eo immutabilis est, ut vita integra vel sana esse non possit, quamprimum eadem pro ratione ætatis vel alius diversæ corporis conditionis ullibi, aut labefactetur aut turbetur. Hi vero effectus, zoogeni merito dicendi, utpote qui ab ipsa vita quasi progenerantur, si temperati sunt, apud Medicos singulari vis medicatrix naturæ nomine vulgo indicantur, quatenus scilicet earum ope ægritudines corporis causæque nocentes removeantur; vehementiores autem turbulenteque ac per furorem quasi excitatæ perniciem ipsius vitæ secum sæpe trahunt. Agunt quidem etiam res variæ tam mechanicæ quam chemice in corpora viva, quarumque proximi effectus ad leges explicandi sunt aut Mechanicas aut Chemicas, sed ea ratione tamen hæc fiunt, ut effectus isti mechanici vel chemici alios simul Zoogenos mox producant. Sic e. g. ligatura artubus admota, vi mechanica circuitum sanguinis impedit, & ignis, vi quadam ex principiis chemicis explicanda, corpora quæcunque viva comburit, unde mox alia phænomena ex virium vitalium actione tantum derivanda producuntur, majorem sæpe perniciem advenientis, quam quæ ex sola mutatione mechanica vel chemica provenire posset.

§. 4.

Jam negari quidem nequit, neque Mechanica neque Chemica principia, ad venenorum agendi modum rite explicandum, sufficere, quamvis etiam proximi eorum effectus aut mechanici aut chemici esse videantur (a). Nullus namque me-

(a) Paucissima autem venenorum genera mechanicæ vel physice proximum suum edunt effectum, sed directe quasi afficiunt vires sic di-

metuendus est corporis affecti interitus, antequam vires vitales aut nimis irritatæ, aut ad agendam cohibitæ, per vim veneni deletricem totæ quantæ possint extingvi. Ideoque ad hanc normam judicanda esse quæcunque arbitramur venenorum genera. Vehemens itaque inflammatio, ejusque frequens comes gangræna, affectis partibus ad vitam valde necessariis, scenam plerumque absolvunt, a mechanica quadam vel chemica operatione inceptam. Cum autem multiplex, ut supra monuimus, sit virium vitalium forma, facile apparet, multiplicem quoque hoc respectu esse venenorum agendi modum, utpote quia alia venena unius organi vires vitales turbent, alia alius. Quamobrem non dissimulari possumus, quod magnum errorem defendisse putamus Cel. Mead (b), Tissot (c), & Fontanam (d); quorum primi nominati utriusque veneni virus nervosum fluidum contaminare, itaque causam esse mortis putant; hic autem singularem ad putredinem proclivitatem per venena produci, qua deinde irritabilitatis vim prosterni, statuit. Qui enim ad vitæ phænomena paullo scrupulosius attenderit, facile dabit, neque solam vim nervorum sensitivam, neque irritabilitatem, unicum esse vitæ fulcrum, sed conjunctim & simul agentibus omnibus vitæ facultatibus vitam sustentari. Unde patet alia esse venena, quæ nervorum destruunt facultatem vitalem, alia quæ irritabilitatem aut nimis excitant, aut nimis infringunt, aliaque demum quæ ventriculo nocent, alia vero quæ respirationem impediunt; de quibus infra ulterius differemus. In eo autem omnia conveniunt venena, quod aliquam vitalem facultatem

B

tem

Ætas vitales, idque singulari quodam modo, quod etiam Hahnus annotavit, dum l. c. p. 12 monet, venena nocere, factis in homine mutationibus, quæ per cognitatas leges explicari nequeunt.

(b) Opera Medica T. II. p. 6 & sq.

(c) Traité des malad. des nerfs T. I. p. II.

(d) l. c. p. 55, 56.

tem vel plures simul tanta ledunt vehementia, ut solius vis medicatricis naturæ opæ, neque obtundi, neque aboleri queant.

§. 5.

Cum itaque venenorum agendi modus, ab eorum intrinseca qualitate vires vitales afficiendi, pendeat, facile apparet, applicationis modum, ad perniciosos eorum effectus producendos, id solummodo conferre, quod partes magis vel minus nobiles attingantur, quodque eæ afficiantur loca quorum vitalitati illa nocent venena. Multa namque eorum ejus sunt indolis, ut unius partis facultatem vitalem destruant, alius autem non modo intactam relinquunt sed etiam quodammodo reficiunt. Acidum carbonicum pulmonibus inspiratum, subitanam producit suffocationem, quamvis aut deglutitum, aut enematis instar intestinis immissum, vitam refocillet, sæpeque ex orci faucibus eripiat. Venenum viperæ, faucium tubique intestinalis tunicis illæsis, deglutitum ne vel minimum affert damnum, vulnuscule autem ubicunque inflicto immissum, acerrimum est virus. Duplex itaque modus applicandi venena vulgo commemorari solet, unus internus, alter externus. Etenim quamvis perplurima venena ejus sint indolis, ut deglutita maxime noceant, attamen multas quoque alias excogitarunt sceleratissimi venefici venenandi methodos. Exceptis namque venenis, cibus vel potulentis admixtis, alia clysmatum instar, alia halitu suo venenato, alia gladiis telisque inuncta vulnerando nocent, quorum etiam in hac nostra mundi parte, de ejus religione, multarumque disciplinarum apparatu, tantum nos jactamus, frequens fuit usus. Imperatorem Henricum VI cum chirotheca venenata, Johannem Castiliæ Regem cum ocreis huic fini præparatis, & Cardinalem (de Guise), cum in processione solenni ambularet, candelis ante illum accensis

ene-

enecatos fuisse fertur, alia innumera hoc loco ut taceam ex-
empla (a).

§. 6.

Consideratis itaque tam venenorum agendi modo, quam effectibus zoogenis ab iis excitatis, primum est concludere, qualis generum distributio non minus, ad intelligendam eorum vim, quam ad detegenda veneficii signa maxime erit commoda & utilis, quæ nempe ab eorum agendi modo & effectibus simul consideratis sumitur. Hanc methodum aliqui secuti quidem fuerunt harum rerum scriptores, ut Plouquet, Hallerus, Metzger, cum autem in ea aliquid esse corrigendum putavimus, novam exponere constituimus classificationem his ipsis fundamentis innixam; quæ sequentes continebit classes. Venenorum distributio secundum originem in animalia, vegetabilia, mineralia, quibusque Plenckius halitiosa addit, Historico quidem naturali convenit, sed Medico Clinico & Legali admodum est incommoda, utpote quæ nulla exhibet signa veneficii diagnostica, utrisque admodum necessaria. Si cui placeat, diversas auctorum classificationes inter se invicem comparare, adeat Hallerum qui sigillatim eas enumeravit (b).

§. 7.

Cl. 1. *Veuena Mechanica.* Ea nobis videntur hoc titulo esse indicanda, quæ deglutita propter figuræ indolem, dilacerando, pungendo, vel scindendo, ventricul vehementes excitant inflammationes, in gangrænam inmedicabilem, propter causæ contumaciam atque visceris magnam sen-

B 2 fibi.

(a) Tissot l. c. p. 14.

(a) L. c. p. 199.

stabilitatem, facile mutabiles. Hujus generis sunt, vitrum com-
 minutum & lapides sic dicti prætioli, (a) quorum medicata vir-
 tus magni olim æstimabatur. Quibus addere non dubitamus
 adiculas diffractas, aliæque ejusdem indolis heterogenea (b).
 Multum quidem hæsitavimus, num hæc inter venena essent re-
 cipienda, idque triplici ex causa; primum quia sine damno
 sæpe devorata fuisse notum est; deinde quia læsiones mechani-
 cæ sub hoc titulo jure referri nequeunt, & demum quia effi-
 caciæ eorum adeo deleticis mentionem non fecerit locupletissi-
 mus in eorum tractatione Tralles (c). Merito etenim Cel.
 Plouquetum (d) arbitramur castigasse Lindestolpium, qui ad vene-
 na, gladiæ, acinaces, tela, aliæque ejusdem generis instrumenta
 perperam certe numeravit (e). Cum autem animo revolvimus,
 non minus quantam infamiam habeat clandestinæ necis hilce
 adminiculis forsan perpetratæ causa, quæ itaque tanquam
 veneficium apud iudices jure est consideranda, quam etiam
 singularia, quæ hujus generis affectionibus comites esse solent sym-
 ptomata, phænomenis a venenis corrodentibus oriundis simil-
 lima, putavimus istas causas inter venena maximo collocan-
 das esse jure. Symptomata ab hujus generis venenis affluntis se-
 quentia apud auctores citata occurrunt (f): vehementes dolo-
 res atque spasmi ventriculi & intestinorum, nec non inflam-
 ma-

(a) Gmelin Geschichte der Min. gifte p. 6 sq.

(b) Vehementissimos lateris dolores pleuritidem sæpe æmulantes, ner-
 vorumque affectiones, ab ejusmodi heterogeneis pungentibus de-
 glutitiis oriri, testatur præter plura apud Cel. Plouquetum in Re-
 pert. Med. Pract. & Chirurg. sub titulo Gastrodynæ citata loca,
 memorabilis casus in Auserles, Abh. zum Gebrauch pract. Aerzte
 XI B. p. 10. sq.

(c) Exam. rigor. p. 205 & alibi.

(d) Abh. über die Gewaltf. Todesarten.

(e) De venen. p. 117 & 639.

(f) Gmelin l. c. p. 5,

mationes atque exulcerationes eorundem, interdum subito mortiferæ, interdum ab initio tabificæ, postmodum vero lethales. Post mortem facilis plerumque hujus causæ est diagnosi, siquidem corpora ista ventriculo contenta, quamvis minutissima, ad mineralogorum præcepta nullo negotio examinari possunt.

§ 3.

Cl. 2. *Venena corrodentia* ea dicuntur, quæ, vi quadam ex principiis Chemicis explicanda, ignis instar, partium attractarum compagem ac texturam quali rodendo destruunt. Phænomena eorum, quacunque adhibita fuerint ratione, effectibus ignis apprime sunt similes: ab initio namque rubor, levis tumor, atque dolor, ab irritatione vasorum, indeque orta humorum congestione, deinde separatio epidermidis, postquam eschारा gangrænosa, omnes partes adjacentes sensim exedens, observatur. Hisse autem alia quoque sese adjungunt symptomatica, pro ratione loci affecti diversa. Deglutita namque hujus generis venena vehementissima progeniunt tormina, una cum vomitu, siti inextingvibili, anxietate, alvo aut valde constipata aut præter modum fluxa, tenesmodica ac cruenta, nec non affectibus nervorum spalticis, nullo modo compescendis (a). Ad effectus zoogenos phænomena hæcce esse referenda, quamvis ipsa qualitas corrosiva ex principiis chemicis explicari queat, ex iis quæ de vita organica supra paucis attulimus, facile constat. Ideoque eo vehementiores deprehenduntur, quo magis irritabiles vires vitales, quoque major veneni adhibita fuerit quantitas (b), quoque nobilior pars affecta (c).

B 3

Hinc

(a) cfr Gmelin. III. p. 121. & alibi.

(b) De divisione venenorum secundum vehementiam effectus habitaque ratione quantitatis, cfr Metzger l. c. p. 182.

(c) cfr Plouquet l. c. p. 63.

Hinc facile intelligitur, cur arsenicum, quod cuti integræ applicitum, tardiozem producit noxam, pustulis scabiolis imper-
sum, atrocissimos protinus efficiat nervorum totiusque machi-
næ cruciatus (d). Hanc ob caussam clandestinas neces per-
plurimas hujus generis venenorum ope patratas fuisse, turpis
scelerum humanorum testatur historia; neque ullam omiserunt
necis hujusmodi nefandi artifices viam, toxica ista adhiben-
di; etenim præter cibos potulentaque hisce venenis contami-
nata, non modo clysmata & pulveres sic dictos narium, ac suf-
fimenta venenare studuerunt, sed etjam innumeras alias exco-
gitarunt methodos, veneficii obscuras, vehementissima itidem
procreantes symptomata (e). Præcipua hujus generis venena
eregno desumuntur minerali, neque crediderimus multa hujus
generis venena ex reliquis naturæ regnis posse inveniri. Huc
itaque pertinent accida mineralia meraca, vel etjam dilutiora
majori copia assumta (f); Calces metallicæ acidis mineralibus
solu-

(d) Qua ratione Cel. Metzger l. c. p. 183. statuit, arsenicum in
vulneratis tantummodo locis suam exserere vim venenatam, non vi-
demus, cum fati sit expertum, tumores canerosos integra adhuc
cute ex applicato arsenico, vehementi corripit inflammatione, totius
tumoris corruptionem sensim producente.

(e) Gmelin III, p. 117 sq.

(f) Qued acidum vitrioli dilutum non adeo innocuum est, ac multi
forfan putant, memorabilis a Cel. hujus Acad. Professi. Pipping
nobis benigne communicatus casus probat. Erat nempe Chirurgus
quidam castrensis, qui, sub nuperrimo, quod inter patriam & vici-
num Muscoviticum imperium exarsit, bello, ad præcavendum con-
tagium febris malignæ, que tum & in castris & per populum ve-
hementer grassabatur, acido vitrioli tenui permulto diurnoquo
utebatur, qui vero nost aliquod tempus febrî nihilominus corre-
ptus magna anxietate vehementibusque ventris eruciatiibus vexatus
mortem cum vita commutabat; institutaque cadaveris inspectione, e-
videntia verè gastritidis conspiciebantur indicia, ex solo tantum
acidi vitriolici abusu derivandæ.

solutæ, ut mercurius sublimatus corrosivus, mercurius præcipitatus albus & ruber, butyrum antimonii, mercurius vitæ, arsenici varix species, auripigmentum (g), aliaque hujus indolis corpora, quorum uberiores elenchum apud Hallerum & Gmelin videre licet. Ad hæc quoque venena referri debent varia caustica, ut lunare, salinum, lapis causticus chirurgorum, calx viva, nec non salia alcalina caustica (h). Non nisi ex vehementia symptomatum, atque subitanea cruciatuum successione, ad hanc veneficii causam, vita adhuc persistente, concludere licet; at post mortem facilis atque tuta plerumque hujusmodi veneficii est diagnosi, adhibitis sic dictis reagentibus aliisque subsidiis chemicis (i).

§. 9.

Cl. 3. *Venena acria* multas habent cum corrodentibus qualitates communes; inflammant atque exulcerant cutim externam, partibusque sensibilibus admota, nervos vehementer vel-

(g) Legendum veneficæ auripigmenti virtutis exemplum, quod nobismetipsis licuit observare, paucis hic lubet adnotare. Ex tribus puellis, quibus, scabiei, qua laborabant, curandæ gratia, una vespere exhibita fuerat pulveris, pro sulphuris floribus venditæ, dosis, altera quinque annorum natu intra 16 moriebatur horas. Versus noctem vomitus enormis, omnes vexabat, qui tamen adeo sensim remisit, ut somnum capere possent tranquillum. Expergefacta autem de qua loquimur, de profundo querebatur ventris dolore, qui tamen non impedivit jentandi desiderium, ciboque assumpto satis bene sese habuit, donec versus meridiem exspiraret. Inspecto cadavere observabatur ventriculus flatibus distentus, externe parum inflammatus, at interne maculis gangrenosis notatus, pulvereque auripigmenti reliquis ingestis admixto, repletus. Pauca adfuit in vesicula fellea bilis copia, fere glutinis instar coagulata.

(h) Plenck l. c. p. 236.

(i) cfr. Haller & Metzger l. c.

vellicaut atque gangrænam producent mortiferam (a), at in eo tamen diserepant, quod corpora mortua intacta relinquunt, quodque acrimoniam suam plerumque non nisi effectibus zoenis prodant. Neque ideo letiferos observantur producere effectus, nisi aut deglutita, aut clysmatibus admixta vel etjam vulneribus aliqua ratione infusa; siquidem hisce tantum modis sensibiliores & ad vitæ sustentationem maxime necessarias partes quasi attingere queunt. Excitata etenim vehementi inflammatione, atque gangrænosa destructione harum partium, vires vitales quasi concutiendo, fundamenta vitæ prosterunt ac destruunt. Multis quidem in hæc venenosa tribuitur qualitas, præcipua autem commemorabimus. Cantarides merito huc referri, quamvis singularem propter, quæ iis inesse vulgo creditur, vim organa tantum uropoietica stimulandi, ventriculo vero parum perniciosam, propriam ipsis Cel. Plouquet (b) heteroclitorum venenorum nomine delignaverit classem, casus a Cel. Metzger (c) satis demonstrat. Alia ejusdem generis insecta eadem prædita esse virtute Plenckii testatur venenorum elenchus (d). Ad regnum autem vegetabile plurima pertinent venena acria, Semina nempe Sabadilli & Coccognidii, Folia Sabinæ, Daphne mezereum, Rhus Toxicodendrum, Hippomane mancinella, variæque Euphorbiæ ac Ranunculi species. Hæc omnia interne adhibita veram producant gastritidem, suis consuetis stipatam symptomatibus, quibus sese subito adjungit immedicabilis gangræna, nisi saluifera intervenerit medendi methodus. Post mortem eadem fere sese ac post corrodentia venena monstrant phænomena, indica

(a) Gmelin Geschichte der pflanzengifte p. 13 sq.

(b) l. c. p. 87.

(c) l. c. §. 203. not. b.

(d) l. c.

cica nempe inflammationis ventriculi ac intestinorum, una cum exulcerationibus ac maculis gangrenosis. Quidam barbaris gentibus ad venenanda sua tela adhibiti acres succi, quoad suas vires modumque agendi, non adeo nobis sunt cogniti, ut determinare queamus utrum ad hanc vel aliam referendi sint classem.

§. 10.

Cl. 4. *Venena drastica* stimulum quoque admovento agunt, at præter ventriculi intestinorumque irritabiles tunicas, alias corporis partes plerumque parum admodum afficiunt. Deglutita vero singularem excitant in tubo intestinali stimulum, quo citior provocatur motus peristalticus, copiosior humorum gastricorum secretio, atque major nervorum sensibilitas. Proximus itaque effectus, dum parva exhibentur quantitate, qui solet observari, alvi fluxus est copiosior. At majori copia deglutita, atrocissimos progeniunt ventris cruciatus, cum enormi vomitu ac diarrhœa choleram æmulantibus, sanguinisque interdum per utrasque vias effluxu stipatos. Non pauca eorum adeo vehementer irritant, ut acrium venenorum instar, epidermidem separant cutimque exulcerant; quam ob causam majori dosi interne adhibita subitanœam, adferunt mortem, excitata per totum intestinorum tractum immedicabili gangræna. Accidit itaque hic, quod in quavis systematica corporum naturalium expositione, vulgare vitium est, quod quædam corpora ejusmodi prædita sunt characteribus, qui pluribus competunt generibus, quali non satis tuto positi essent eorum limites. Multa namque drastica adeo vehementer gaudent stimulo, ut æquali jure ad acria referenda esse diceres. Ea omnia autem ad hunc classem numeranda esse putavimus, quæ minori dosi assumpta alvum movent, majori vero non modo vehementer, purgant, sed etiam pro ratione quantitatis, propter singularem irritandi facultatem, totum inflammant &

gangrænosa corrosione afficiunt tubum intestinale. Ad vehementissima hujus generis venena, pertinent Fungorum venenatorum variæ species, Digitalis purpurea, Scammonium, Momordica elaterium, Cerbera abovar, Helleborus niger, Veratrum nigrum, Stachnos nux vomica, aliaque ejusdem indolis (a). Eum quoque singularem quædam eorum edunt effectum, quod narcoticorum instar, vehementem propter, qua nervos simul movent, vim, sensus stupefaciunt. Ex præcedentibus igitur symptomatibus diagnosi veneficii, hæcæ perpetrati venenis, deducenda est. Præter hæc vero varia quoque præparata chemica, drasticorum more minori dosi alvum movent, majori vero inflammationes excitant ventris vehementiores, cum vomitu, dejectione alvi copiosa, ac anxietate molestissima conjunctas. Hujus generis sunt mercurius dulcis, tartarus antimonialis, crocus metallorum, vinum antimonii, aqua benedicta Rulandi, plura alia ut taceamus, quorum præterea enumerationem exhibuerunt Cel. Gmelin & Plenckius. Quando exitialis horum fuerit effectus, chemicis experimentis facile plerumque detegitur.

§. 11.

Cl. 5. *Venena narcotica* ea merito dicuntur, quæ singulari facultate stupefaciente vim vitalem nervorum ita afficiunt, ut quantum ex iis pendet, vitæ functiones sustentari ulterius nequeant. Multum quidem ab omni ævo de modo horum agendi inter Medicos fuit disputatum (b), at nostris temporibus plerique hac de re Cel. Brownio assentiuntur. Ex indubitatis namque experimentis certe constat, narcotica stimulando nervos ad motum qualemcumque vehementiorem incitare,

(a) cfr Gmelin p. 21 sq. & Plenck p. 80 sq.

(b) Tralles usus opii noxius & salubris T. I.

re, qui motus, pro ratione celeritatis ac vehementiæ, debilitatem vel immobilitatem plus minusve subitanæ permanentemque inducit (c). Commune etenim machinæ animalis est attributum, quod facultas renitendi, quam diversam in diversis organis esse supra monuimus, quam primum præter modum incitetur, in impotentiam ac immobilitatem mutetur; quod quidem phænomenon, non minus in nervis, quam musculis & cellulosa, nec non aliis quibuscunquæ magis compositis partibus contingere, ex Clinicorum observationibus notum est. Non igitur mirum videri potest, post narcotica assumpta non modo circuitum sanguinis incitari, sed etiam facultates animæ & robur musculorum ab initio intendi, postea vero universalem torporem ac ad omnem motum infirmitatem adduci, quasi ipsæ deflagrassent vitales vires. Statuit quidem Cel. Fontana (d) narcotica irritabilitatem muscularem, quam ut præcipuum vitæ considerat principium, directe infringere, eaque ratione vitæ perniciem adferre, cum autem musculorum motricem facultatem sæpe periisse, persistente quamvis vi nervea ipsaque vita, plures testantur paralyticorum casus (e), non videmus quare ad explicandos narcoticorum effectus, mutationes in vi musculorum irritabili tantummodo sunt æstimandæ, cum id multo melius ab affectione, nervorum musculosam vim indirecte æque ac reliquas vitales facultates mutante intelligatur. At cum nostrum non sit tantas componere lites, sufficiat hæc præmonuisse, ut ratio phænomenorum quæ huicce beneficii generi comites sese dare solent, luculentius perspiciatur. Sym-

C 2

pto.

(c) cfr Gesenii Handbuch der pract. heilmittell. p. 362, & Crumpe An inquiry into the nature an properties of Opium Cap. VI.

(d) l. c.

(e) Celebrem hujus phænomeni casum in vita Ahlströmeri nuper commemorant Cel. Dubb. cfr Åminnellse-Tal öfver Clas Ahlströmer, Stockh. 1796.

ptomata autem ab assumtis narcoticis incipiunt vertigine, somnolentia, lipothymiis, infania, convulsionibus; quibus interdum accedunt vomitus ac diarrhœa, frequentius vero sopor & affectus apoplectici raro medicabiles (f). Visum quædam narcotica speciatim debilitare, alios ut taceamus auctores, Cel. testatur Tissot (g). Post mortem eadem quæ in Apoplexia sangvineâ plerumque observantur phænomena, magna nempe sanguinis in vasis præsertim meningum congestio. Notissima hujus generis venena sunt Plantæ apud Botanicos sic dictæ Luridæ & in uliginosis crescentes Umbellatæ, nec non Solanacæ & Rhœades, inter quas præ cæteris eminet succus Papaveris sub Opîi nomine omnibus notissimus. Quod vero actio veneni viperini cum Opîi, ut Cel. Fontanæ placuit (h), haud commode comparatur, ex sequentibus perspici speramus. Tardio rem Opîi effectum, obstructionem pertinacem alvi, paraly sin intestini recti inducendo, tandemque mortem procreare, observationes a Cel. Pyl (i) adnotatæ probant, quod quidem post alia quoque narcotica adbibita accidere posse non dubitamus.

§. 12.

Cl. 6. *Venena hamatoxica* ea esse appellanda arbitramur, quæ sanguini tantum adfusa nocent. Viperis aliisque quibusdam serpentibus in singulari receptaculo, ad radicem dentium perforatorum posito, hujusmodi venenum, mordente animali vulnere infundendum, contineri, Celebres jam dudum docuerunt auctores (a). Diligentissimis autem experimentis Cel. pro-

(f) Haller l. c. p. 622.

(g) l. c. p. 51.

(h) l. c. p. 62.

(i) Auff. I. Obf. 8 & 9.

(a) Redi *Observazioni intorno alle vipere*, Mead *Expositio Mechanica* *ea venenorum*.

probavit Fontana (b), neque sapore acri, neque indole vel acida, vel alcalina, vel salina, illud quidem præditum esse, sed vulneri nihilominus cruento infusum, perniciem animalibus præfertim calidis vi quadam singulari noxia moliri. Symptomata morsum viperæ concomitantia, dolor scilicet, intumescencia inflammatoria, anxietas, lipothymia, ac motus nervorum convullivi, statum quidem indicant systematis nervosi irritatum (c); ast cum hocce venenum neque linguam (d) neque conjunctivam (e) ullo ferire stimulo, neque etjam deglutitum, Ventriculo, cujus quidem sensilissimi sunt nervi, vel minimum adferre incommodum, multis comprobatum sit experimentis, non dubitandum esse putamus, qualitatem humoris istius viperini veneficam sanguini communicatam, indirecte tantummodo affectiones istas nervosi systematis producere. Quæ equidem phænomena, veteres haud profus ignorasse, ex Luciano (f) constat. Merito itaque ipse Cel. adnotavit Fontana (g), nervorum motus non semper a stimulo, sed a turbato virium musculosarum æquilibrio, originem trahere. An vero vim musculorum irritabilem venenum destruat viperinum, singularem ad putredinem adducendo proclivitatem (h), vel an principium caloris, veneno ad cor delato, extingvatur (i), sive etjam an deleatur sanguinis facultas vitalis, quam multis argumentis alii defendere, alii refutare Clari fategerunt in arte viri,

C 3

viri,

(b) l. c.

(c) Mead l. c. & Fontana l. c. p. 184.

(d) Fontana l. c. p. 30.

(e) Fontana l. c. p. 31.

(f) Noxia serpentum est admisso sanguine pestis. Morsu virus habent & fatum in dente minantur, pocula morte carent. Pharsal. L. IX. v. 614. cfr etjam. Celsi de Medicina L. V. c. 27.

(g) l. c. p. 44.

(h) Fontana l. c.

(i) Redi l. c.

viri, neque determinare audemus, neque satis evictam esse putamus. Nervis autem haud inimicum esse hocce venenum quod quidem Cel. olim statuit Mead (k), facile ex miti sapore, atque omnino innocua ejus post deglutionem probata indole, facile concluderetur, nisi id accuratissimis ulterius probaverit Cel. Fontana (l) experimentis. Sufficiat nobis hac occasione ad stabiliendum singulare hocce veneni genus, monuisse, sanguini indubitatum noxam adferre, sicut id multis experimentis probavit Cel. ille toxicorum explorator Fontana (m). Venenosi morsus ac puncturae quorundam aliorum animalium huc forsan quoque sunt referendae, ut Scorpionis Africani, Phalangii araneodis, aliorumque insectorum. Præterea vegetabilium quidam succi, sanguini per vulnera admixti, eadem forsan ratione perniciem adferunt, ut quidem ab experimentis Cel. Fontanae cum veneno americano Ticunas dicto, institutis (n) verisimile esse videtur.

§. 13.

Cl. 7. Venena adstringentia vel exsiccantia, præeuntibus Cel. Metzgero (a) aliisque vetustioribus auctoribus, ea appellamus, quæ humores coagulando, atque solidorum compagem quasi coarctando, indissolubiles progignunt canalium minorum ac glandularum præsertim lymphaticarum obstructions, lentam (b) virium vitalium ruinam plerumque minitantes. Præparata sic dicta Saturnina (c), acetum nempe saturninum

(k) l. c.

(l) l. c. p. 196.

(m) l. c. p. 182 & alibi.

(n) l. c. p. 284 sq.

(a) l. c. §. 207, 214.

(b) Plouquet eam ob causam hæc venena lentorum nominis indicavit l. c. p. 83.

(c) Gmelin vom Minæ. gifte p. 170 sq.

ninum, extractum & saccharum saturni, nec non alias quascumque plumbi solutiones, huc referendas esse, plures morborum ex hac causis progenitorum probant historie. Difficilem autem esse percipimus disquisitionem, qua ratione sipticam istam noxam saturnina possunt adferre, aut solo scilicet tactu stimulum magis quasi permanentem admovente, aut per vasa lymphatica absorpta & humoribus immixta, coagulationemque eorum promovendo. Priori sententiæ favet singularis ex sola gustatione perceptus strictionis sensus. Absorptionem autem probant non minus infelices quidam ab usu externo observati effectus (d), quam salivatio, color dentium niger & ulcuscula oris ab interno ejus usu visa. Quodcumque autem ex his verum esse deprehenditur, nisi forsitan utrumque recte dicitur, negari non potest, saturnina interne majori quantitate assumpta, colicam istam Pathologis saturninam dictam, singularibus interdum accidentiis (e), plerumque autem obstructione alvi pertinacissima, extremitatumque paralyti stuporata (f) procreari, omnem interdum repudiantem medelam, sæpeque subito lethiferam. Si vero minor ejus adhibeatur quantitas, diuturnius modo continuata, tardius quidem adferri noxam est detrimentum, at haud levius æstimandum. Obstructiones namque glandularum inde progenitæ, lentam inducit tabem, quæ ineluctabilis fati causam sæpe constituit. Neque obstant felices, quos adnotarunt Cel. auctores (g) ex usu Sacchari Saturni interno, casus, quominus heroica Saturninorum vis in veneficam degenerare possit; ipsi namque pluries observavimus, dosin paullo magis
au-

(d) Tesse Percival. cfr Auserl. Abh. III. B. p. 697. & Edimb. Medic. Comment. Altona 1776. III. B. p. 214.

(e) Auserl. Abh. zum gebr. pract. Aerzte, XV B. p. 34.

(f) Rachialgia Metallica Sauvages T. II. p. 133.

(g) cfr Richter Chir. Bibl. IX. B. p. 408. & XIII. B. p. 333.

auctam, obstractionem alvi pertinacforem, lancinationesque intesti-
 norum quasi occultas procreasse. Etjam usum externum non omne
 deftitutum esse periculo, plurimæ a Cel. Percival supra citatæ
 probant observationes; mala autem ex his orta causis, ea-
 dem prorsus esse ac si interne ea assumta fuissent venena, i-
 dem testatur Auctor. Diagnofis hujus generis veneficii post
 mortem difficilis quidem esse videtur, nisi aliqua veneni por-
 tio in tubo intestinali residua deprehenditur; attamen a sin-
 gularibus colicæ & paralyseos symptomatibus a reliquis mor-
 tis causis haud ægre distinguitur. Præter Saturnina hæc-
 ce præparata, non dubitamus, quin etjam alia quæcunque
 stiptica vel adstringentia a singulari corium condensandi, so-
 lutionemque vitrioli nigro colore tingendi facultate, ac pro-
 prio sapore facile cognoscenda, indissolubiles viscerum gene-
 rare oppilationes, quamvis neque adeo vehementes neque su-
 bitaneos edant effectus.

§. 14.

Cl. 2. *Venena suffocantia*, a Cel. Plenckio (a) habituosa
 dicta, ea appellantur, quæ respirationem cohibent, atque vi-
 tam quasi suffocando exstingunt. Hocce mortis genus, a ve-
 neficiis separavit Cel. Metzger & singulari capite pertracta-
 vit (b) quia neque strangulationes, neque submersiones, ne-
 que etiam violentæ suffocationes ad veneficia commode re-
 ferri possint. Cum autem alii Medicinæ Legalis scripto-
 res (c) & Cel. Tissot in suo de actione venenorum tractatu
 horum mentionem fecerunt, non potuimus non paucis eadem
 hic pertractare, præprimis quia multæ sunt causæ suffocantes,
 quæ

(a) l. c. p. 279 sq.

(b) l. c. p. 163.

(c) Haller l. c. Plouquet l. 2.

quæ ad violentias externas nullo pertinent jure. Ad hanc autem venenorum classem omnia ea referenda esse arbitramur, quæ aut aëris aut fumi forma, aut denique pulveris tenuissimi, per aërem volitantis instar, pulmones intrare queunt, eorumque actiones vitales turbare. Omnes itaque aëris species, mephiticæ appellatæ (d), quæ quantitatem oxygenii sufficientem sanguini reddere nequeunt (e), vel quæ vehementiori stimulo cellulas pulmonum afficientes, spastica eorum excitata contractione, respirationem interceptant (f), vel demum quæ ejusmodi particulis sunt repletæ, quæ pulmonibus introductæ, aut compagem eorum dilacerando (g), aut canales minimos, secretionumque organa obturando, atque Asthmaticas affectiones producendo (h), obstacula respirationi ponunt insuperabilia, interitumque ocyus vel tardius adferentia. Ex comparatione symptomatum cum causis præcedentibus hæc mortis causa est detegenda; phænomena etenim quæ in eadavere observantur, plerumque valde sunt ambigua, nisi aut fumus arsenici, aut halitus alii corrodentes, causam effecerint mortis; in quibus calibus maculæ gangrænosæ per tracheam & cellularum aërearum superficiem spariæ observari dicuntur (i).

D

§. 15.

(d) cfr Metzger l. c. §. 192. & Portal in Hist. & Mem. de l'Acad. des Sciences, Année 1775 p. 492 sq.

(e) cfr hac de re Ccl. Beddoes Med. Schriften I. B. Leipzig 1794.

(f) Hujus indolis sunt halitus sulphuris accensi, acidorum mineralium, musti fermentantis, alique ejusdem generis, de quibus cfr Plenckium l. c.

(g) Lapiditas Hæmoptysi indeque ortæ Phtisi obnoxios esse, ex Ramazzini de morbis artificum constat.

(h) Etiam hujus phænomeni ex Ramazzino plura citari possunt exempla.

(i) Gmelin I. p. 191.

Cl. 9. *Venena obscura.* Ad truculentissimum horridumque venenorum genus jam pervenimus, quod non minus ad perniciem quam ad dedecus humano generi afferendum, omni ævo sceleratissimi excogitarunt homines, quodque ut Celsus de morbis ait (a) ad iram Deorum immortalium referendum esse merito censemus. Obscuro hocce nomine ea intelligimus venena, quæ propter obscuram partium constitutarum qualitatem, nec non incognitum agendi modum, ad priores classes referri tuto nequeunt. Multa quidem hujus generis adhibita fuisse venena, ex horrida flagitiorum ac perfidiarum humanarum historia constat (b), quarum autem præcipua æstimanda sunt aqua sic dicta Tosana & pulvis auctore femina Brinvillier successione nomine vulgo notus. De compositione eorum magnopere quidem inter Medicos fuit disputatum, at, quas inde deduxerunt, conclusiones parum omnino generi profuerunt humano. Quod lente agant, atque clandestinum irreparabileque adferant damnum, ex Medicinæ Legalis scriptoribus singularumque historiarum auctoribus notissimum est; an vero hi effectus ab arsenicalibus aut saturninis aut aliis particulis noxiis (c) pendeant, non curamus, Cel. namque Frankio (d) consentientes, harum rerum disquisitiones publice institutas non modo inutiles sed etjam periculosas, ideoque damnandas esse, haud immerito arbitramur. Juvat itaque tabulam istam horrendam, protinus velare, & lætabimur Italicas

(a) In Præfat.

(b) La vic du Pape Alexander, & de son fils Borgia, par Gordon, Amsterd. 1732.

(c) cfr Beckman Beyträge zur geschichte der erfindungen I B, 2 St. p. 257. und 2 B. 4 St. p. 563. fq. & Gmelin III. p. 131.

(d) System einer vollständ. Medic' Polizey. IV B. p. 399.

has istas artes (e) in hac nostra patria huc usque fuisse fere ignotas, saltem rarissime suspectas;

§. 16.

Difficilem valde veneficii censuram esse, Medici Legales sæpe sunt experti, ut eorum testantur scripta, idque multiplices propter causas. Nam ipsa quoque symptomata, veneficii quodcumque genus comitantia, a variis aliis causis morbificis provenire, ex pathologia compertum est (a). Deinde quoque variæ in ipso humano corpore gignuntur rodentes acrimoniæ, quarum effectus veneficii apprimè sunt similes; sic e. g. Cel. Morgagni (b) memorabilis cujusdam meminit exempli Bilis apud puerum a convulsionibus mortuum adeo æruginosæ, ut & ferrum corroderat, & vulnere columbarum instillata subitanèam iis attulerat mortem. Præterea obscura ista venena, fulcimenta, quibus vita sustinetur, paullatim destruyendo, plerumque parum sensibili præcedente corporis infirmitate, homines lenta conficiunt tabe, eo difficilius dignoscenda, quo serius effectum causa prægressa producere observatur. Et demum si de veneficio perpetrato nullum sit dubium, attamen dubia esse potest non minus ipsa causa venefica, quam dijudicatio, an dolose ea vel improvise adhibita fuerit. Facile hinc sequitur, summam attentionem, accuratissimamque phænomenorum comparisonem Medico in veneficii examine esse adhibendam, nisi in errores salutis civitatis maxime noxios deferatur; certeque magnopere juvat ad diversorum generum effectus ac vires probe attendere. Sed neque

(e) Hahn l. c. p. 69. & Archenholtz England und Italien, V Th. p. 171.

(a) cfr eijam Haller l. c. p. 215.

(b) De sede & causis morb. T. III. p. 263.

neque hic unicus est hujus doctrinæ usus; quam namque de medela infelici cuidam homini venenato adhibenda, quæstio agitur, frustra impenditur opera, nisi justæ stabiliantur secundum hanc normam indicationes curatoria. Neque minoris æstimandus est usus hujus doctrinæ in quæstionibus ad Politiam Medicam pertinentibus, qua de re supra citatus conferatur auctor (c), ne dicam quanti pretii est Medico Clinico, propter eximium, quem ex variis venenis rite & cum cautela adhibitis, sperare licet usum,

(c) Frank l. c.

Tantum,

